An. et vol. XXXXIII 20-30 Decembris 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 17-18

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

BX
850
A3
STORAGE

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Litterae Decretales, p. 817 – Constitutiones Apostolicae, p. 828 – Allocutiones, p. 835 – Nuntius radiophonicus, p. 860.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 863 – *S. C. de Propaganda Fide*: Decretum, p. 865 – *S. C. Rituum*: Decreta introductionis causae pro beatificatione Servorum Dei, p. 866.

Acta Tribunalium: *S. Paenitentiaria Apostolica*: Rescripta de Indulgentiis, p. 870 – *S. R. Rota*: I. Sententia definitiva, p. 872; II. Citatio edictalis, p. 877.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni – S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Segreteria di Stato: Nomine – Necrologio, pp. 878-880.

Indices vol. XXXXIII, an. XXXXIII (1951): I. Index generalis actorum, p. 881 – II. Index chronologicus documentorum, p. 883 – III. Indices nominum: *a*) personarum, p. 897; *b*) dioecesium, vicariatuum, etc., p. 911; *c*) religionum, p. 922 – IV. Index rerum analyticus, p. 924.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · LI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1000 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 80 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

UNIVERSITY OF MICHIGAN
GENERAL LIBRARY

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIII, n. 17 - 20 Decembris 1951)

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

PAG.

Militanti in terris. - Beatae Mariae Goretti, virgini et martyri, Sanctorum honores decernuntur. - 25 Iunii 1950 817

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. LEOPOLDOPOLITANUS (Kolensis). *Ad catholicam fidem.* - E Vicariatu Apostolico Leopoldopolitano territorii partes seiunguntur, ex quibus nova erigitur Praefectura Apostolica, Kolensis nuncupanda. - 14 Iunii 1951 . 828

II. MARIANOPOLITANA - OTTAVIENSIS - MONTIS LAUREI (Sancti Hieronymi). *Ad catholicum nomen.* - Ab Archidioecesibus Marianopolitana et Ottaviensi atque a dioecesi Montis Laurei quadraginta in toto paroeciae seiunguntur et exinde nova erigitur Dioecesis, quae Sancti Hieronymi nuncupabitur. - 23 Iunii 1951 830

III. QUEBECENSIS (S. Annae Pocatierensis). *Sollerti studio.* - Ab Archidioecesi Quebecensi territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur Dioecesis S. Annae Pocatierensis nomine, ipsi Metropolitanae Ecclesiae Quebecensi suffraganea. - 23 Iunii 1951 . . . 833

ALLOCUTIONES

I. Iis quae interfuerunt Conventui Unionis Catholicae Italicae inter Obstetrices, Romae habito. - 29 Octobris 1951 835

II. Ad novum Finniae Legatum. - 18 Novembris 1951 854

III. Iis qui interfuerunt Conventui, Romae habito, Sodalitatis vulgo nuncupatae « Fronte della Famiglia » atque Consociationum inter Familias copiosae prolis. - 26 Novembris 1951 855

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Christifidelibus Italiae ex alluvie afflictis. - 18 Novembris 1951 860

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 863

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

De Vinh. - Decretum. Vicariatus Apostolicus de Vinh clero saeculari indosinensi concreditur. - 14 Iunii 1951 . 865

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Nucerina Paganorum.* - Decretum introductionis causae pro beatificatione S. D. Alfonsi Mariae Fusco, Sacerdotis, fundatoris Instituti Sororum a S. Ioanne Baptista. - 22 Iunii 1951 866

II. *Romana.* - Decretum introductionis causae pro beatificatione S. D. Mariae Helenae Bettini, fundatricis Instituti Filiarum a Divina Providentia. - 27 Iulii 1951 868

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

I. Oratio ad B. Mariam V. in Caelum Assumptam indulgentiis ditatur . . 870

II. Oratio a Sodalibus Actionis Catholicae recitanda indulgentiis ditatur . . 871

SACRA ROMANA ROTA

I. *Romana.* - Nullitatis matrimonii. - Sententia definitiva diei 23 Februarii 1951 872

Citatio edictalis:

II. *Romana.* - Nullitatis matrimonii (Damasso-Jacobs). - 23 Novembris 1951 877

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienze solenni 878

II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* 878

III. Segreteria di Stato: *Nomine* . . . 879

IV. Necrologio 880

An. et vol. XXXXIII 20 Decembris 1951 (Ser. II, v. XVIII) – N. 17

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

BEATAE MARIAE GORETTI, VIRGINI ET MARTYRI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Militanti in terris Ecclesiae suae manifesta semper Redemptor noster praebet indicia perennis illius praesentiae, qua, perfecto opere, quod Pater ei dederat, in caelum revertens, cum suis « usque ad consummationem saeculi » se mansurum pollicebatur, atque illius Virtutis ex alto, qua fideles suos, emisso superne illo alio Paraclito, induere non cessat. Quo in signorum genere sunt sanctissimorum eorum hominum exempla, qui, in vita et morte vestigia Christi secuti, cum eo nunc in caelesti patria regnant. Atque nulla profecto aetate matri Ecclesiae defuerunt neque ornamenta purpurea gloriosi sanguinis Martyrum neque candidum inviolatae virginitatis decus. Sic huius initia saeculi, quod et inaudita immanitate bellorum et versutissima verae fidei impugnatione et effrenata licentia impuritiae deturpandum erat, consecrata sunt martyrio puritatis tenerae puellae Mariae Goretti, quam Nos hodie solemni ritu in sanctis Virginibus et Martyribus annumeravimus; singulari prorsus cum animi Nostri gaudio totaque exsultante Ecclesia. Quivis enim christianus id persentit quod divus Ioannes Chrysostomus scribebat: « Propterea maxime commemorationes diligo Martyrum, diligo et amplector; atque omnes quidem, sed tum praecipue, cum mulierum certamina proponuntur. Quanto enim infirmius est vas, tanto maior est gratia, tanto

illustrius est trophaeum, tanto insignior est victoria, non ob imbecillitatem sexus athletarum, sed quod, per ea quibus vicerat inimicus, nunc etiam vincatur ». (S. Ioan. Chrysost., *PG*, 50, col. 687).

Maria Goretti in lucem edita est die sexto decimo mensis Octobris, anno millesimo octingentesimo nonagesimo, in oppido Corinaldo, Dioecesis Senogalliensis, tertia proles coniugum Aloisii Goretti et Assumptae Carlini, locupletium non fortunis, sed virtutibus. Futuram Martyrem, postridie sacro regenerandam fonte, ab ipsa Virgine Virginum Mariam appellari iusserunt. Utriusque parentis, piissimae matris potissimum, exemplis et monitis, adhuc parvula christianis assuefecta est virtutibus christianaeque pietati.

Sextum vix explebat aetatis annum, cum pater, qui agelli cultura suis victum comparabat, filiis quaerens panem, cum familia emigrare constituit in agros Romae propinquos. Antequam vero proficiscerentur, Maria, a matre et a curione oppidi apte instituta, primum Paenitentiae Sacramentum obivit ac sacro fuit inuncta chrismate. Aloisius Goretti primum in loco, qui vulgo dicitur *Colle Gianturco*, in Dioecesi Praenestina, habitavit, tribus vero post annis in pago cui nomen *Ferriere di Conca*, non procul a Neptuno, in Dioecesi Albanensi; ubi, societate inita cum quodam Ioanne Serenelli eiusque filio Alexandro, communem cum iis habuit domum, cuius appellatio *Cascina Antica* passim est.

Illorum igitur agrorum veluti flos, illarum convallium lilium succrevit Mariola, piissima et in studio orandi assidua; quae tamen peculiari cultu prosequebatur Iesum de Cruce pendentem, Beatissimam Virginem Mariam, cuius Rosarium illi carissimum, s. Ioseph, Deiparae Sponsum, s. Antonium Patavinum et Angelum tutelarem.

Fuit deditissima parentibus. Qua de re mater ipsa testatur numquam Mariam non oboedivisse, numquam admisisse quo suos maerore affligeret. Et qui eam necavit ipse affirmat eam bonam, piam, parentibus morigeram, gravem semper fuisse, non leviculam et inconstantem, plurium puellarum more. Quae Mariae erga suos observantia vel luculentius enituit, cum eorum condicio tristior facta est. Nam Aloisius Goretti die sexto mensis Maii, anno millesimo nongentesimo e vivis migravit, desolatam relinquens coniugem et cum ceteris filiis Mariam, annum agentem decimum. Quae si pie animam dulcissimi patris piacularibus iuvare precibus studebat, matrem omnibus modis consolari dabat operam eiusque levare laborem. Cuius statum acerbiorem faciebant cum familia Serenelli iamdiu exorta discidia, rerum oeconomicarum causa. Maria non modo incredibili tranquillitate partiariorum tulit obiurgationes, qui officiorum puellae pro nihilo ducebant pretium, sed, ne simul-

tates ingravescerent, prudentia ducta, matri statim eius insidias non patefecit, qui ipsam occisurus erat. Quin etiam genetrici suae maestissimae addebat animum, fratresque cohortationibus in officio continebat.

Attamen destinata divinitus illarum choro virginum, qui Agno spargunt cum liliis rosas, ad asperum certamen alenda erat eo Sacramento, a quo martyrium sumpsit omne principium. Ingressa igitur annum undecimum, qua aetate pueri illis temporibus primum ad mensam Eucharisticam solebant accedere, huius desiderio coepit vehementius ardere. Quapropter, matris dubitationibus excussis, festo Corporis Christi die, anno millesimo nongentesimo secundo, primum sacro Convivio interfuit, tanta pietate, ut exemplo esset pueris, qui essent primum sacra de altari libaturi. Qua opportunitate sacerdos, antequam caelestis pabuli dona porrigeret, pueros inflammavit, ut tota virtute Iesum amarent, puri esse studerent, nullo peccato e suis cordibus fugarent Iesum, seque vel sanguinis et vitae pretio servarent Christo immaculatos. Et Maria, cui iam infantulae timorem peccati mater iniecerat, hoc sibi firmissime faciendum statuit.

Haud ita multo post puella aliam puellam audivit parum pudica verba proferentem. Domum reversa rem matri narravit quae, cum filiam admonuisset ne umquam similia ipsa admitteret, haec : « Ne talia timueris, mater; ego potius me patiar... ». Atque, interiecto mense, potius interfici se passa est quam maculari.

Iam Alexander Serenelli acuendum curaverat ferramentum in quadriangulum pugionem acutissimum, quem Mariae minitaturus esset, nisi suae concederet libidini. Cum primum puella sollicitata fuit, ea ne intellexit quidem quid insidiator vellet; sed cum facta esset certior, aufugit promptissime, insidiatorem admonens de timore Dei, de peccato, de inferno igne. Is vero, mortem intentans, Mariae interdixit ne quid matri detegeret. Quae, cum et sibi et familiae timeret, conatum non oportere genetrici suae indicare putavit. Sed ex eo tempore Maria enixius coepit Deiparam Virginem precari, Alexandri perhorrere aspectum, atque matrem orare ne sola domi relinqueretur.

Attamen Alexander, post duos irritos conatus, tertium apparabat impetum. Die enim quinto mensis Iulii, anno millesimo nongentesimo secundo, cum omnes essent in agris intenti operibus, ille domum rediit, ubi Maria in negotiis muliebribus occupabatur. Quam cum incassum invitasset ut secum cubiculum intraret, eam desperanter scalarum pluteo adhaerentem, corripit atque in cubiculum violenter trahit. Ventum itaque est ad martyrium, cui testes soli affuerunt Deus, Virgo Deipara ac tutelaris eius Angelus. Contenditur aliquantisper imparibus viribus,

alta identidem resonante ex ore victimae voce: « Non, non, non fiet! Quid agis, Alexander? Peccatum admittis. Huius ad inferos poenas lues. Deus hoc vetat; hoc peccatum est ». Sed ille, immisso in puellae os linteolo, voces eius restinguit; atque arreptum ferrum defigit in virgineo corpore, lata aperiens et profunda in abdomine vulnera. Illa, tantum intenta pudori et vesti componendae, se erigit et clamat: « O Deus, morior ego! Mater, mater! » Sed novis interea ictibus dorsum eius confoditur atque cor laeditur. Et illud profecto est divinitus factum, ut caesa virgo statim non moreretur, sed totum diem superstes de suo certamine et de sua victoria testari posset, et producta dolorum saevitie hostia fieret Christi in Cruce affixi similior.

Mater tandem advolat; cui interroganti Maria respondet: « Me volebat facere turpia, sed ego facere nolui ».

Sed cum interea puellae status vehementius ingravesceret, in valetudinarium Neptunense transvehitur, quod Hospitalarii Sodales a Sancto Ioanne de Deo procurant. Statim ibi declaratur in curatione vulnerum vel nullam vel perexiguam spem esse salutis. Itaque puella Paenitentiae Sacramentum obit. Quae quamvis torqueatur siti, ne petenti quidem aquae gutta dari licet. Assidue interea afflictam erigere matrem studet sibi bene esse confirmans. Sed ne nimium fatigetur, etiam praesentia matris ei negatur.

Nocte cum magno animi gaudio inter Filias Mariae, quas vocant, a Neptunensis paroeciae curione ascripta fuit proprioque ornata nomismate. Ubi tandem illuxit, sacerdos, augustissimum Eucharistiae Sacramentum morienti praebiturus, puellam ad memoriam excitavit Iesu e Cruce pendentis, qui etiam latroni « paradisum » promisit; ab eaque quaesivit an occisori suo ignosceret ex animo. Cui illa: « Et ego, amore ducta Iesu, illi ignosco eumque cupio mecum in caelum venire ». Ac paulo post similiter interrogata respondit: « Det ei veniam Deus, cui iam ego dederim ». Tum, antequam deficeret sensibus, adhortante praefecto vigilum, mater a moriente percontata est aliasne etiam sollicitata esset ab occisore. « Ita, mater, inquit, bis, mense fere prius, mihi molestus fuit ». Et cum genetrix sciscitata esset cur se id celavisset: « Mea mater, inquit, ille iuravit, si id tibi nuntiavissem, se trucidaturum me esse. Et tamen, etiam re non revelata, me trucidavit ».

Crescentibus postea cruciatibus et alienata mente, adhuc agitatione brachiorum prohibebat insectatorem, et illud exclamabat quod luctans monuerat: « Quid agis? Ad inferos ibis ».

Sic herois illa, vergente hora quarta post meridiem, brevem in terris vitam clausit, laureatarum socianda choro virginum, quae Christo in

sempiternum illa ingeminant: « Me exspectant peccatores ut perdant me; ad praescripta tua attendo. Omnis perfectionis vidi esse terminum; latissime patet mandatum tuum ». (Ps. 118, 95 s.).

Et populus quidem statim Mariam Goretti sanctam Martyrem et saeculi vicesimi *Agnetem* conclamans, ingenti pompa eius corpus ad sepulcretum Neptuni oppidi prosecutus est. Quod inde, anno millesimo nongentesimo vicesimo nono, alumnorum S. Pauli a Cruce curis, magna iterum civium advenarumque frequentia in Deiparae Virginis a Gratiis delatum est aedem, in qua, quemadmodum iam in aede S. Francisci Asisinatis, Corinaldi, et in sanctuario Montis Virginis, marmorea monumenta honori angelicae huius Virginis facta sunt.

Cum autem in dies magis percrebruisset puellae fama, adulescentularum rogatu e Dioecesi Albanensi in Actionis catholicae agminibus militantium, anno millesimo nongentesimo tricesimo quinto, processus, quos informativos vocant, constructi sunt: alter in Albanensi Curia de fama martyrii, de scriptis et « de non cultu », alter, eodem anno in Curia Senogalliensi. Servatis de iure servandis, fel rec. Decessor Noster Pius XI, die primo mensis Iunii, anno millesimo nongentesimo tricesimo octavo, Introductionis Causae commissionem signavit. Interea primum in Albanensi Curia deinde in Romana apostolicae inquisitiones fuerunt adornatae ac decreta postea de iuridica auctoritate processuum cum Ordinarii tum Apostolici edita sunt. Porro in Congregationibus *antepraeparatoria,* die vicesimo septimo mensis Octobris, anno millesimo nongentesimo quadragesimo secundo, in *praeparatoria* biennio post, calendis Februariis, et in *generali* coram Nobis, die tricesimo mensis Ianuarii anno millesimo nongentesimo quadragesimo quinto, disceptatum est an constaret de Venerabilis Servae Dei Mariae Goretti martyrio. Die autem vicesimo quinto mensis Martii, cl. mem. Carolo S. R. E. Cardinali Salotti, Causae Ponente et S. Rituum Congregationis Praefecto, dilecto Filio Alfonso Carinci eiusdem S. Congregationis a Secretis, et dilecto Filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, arcessitis, Nos sacris operati, sollemniter ediximus: *Constare de martyrio et causa martyrii Ven. Servae Dei Mariae Goretti; cumque evidenter hoc constaret, concessa, ad normam canonis Iuris Canonici* 2116 § 2, *dispensatione a miraculis seu signis, ad ulteriora procedi posse.*

In generali vero Congregatione, coram Nobis habita die vicesimo quarto mensis Aprilis, eodem anno, quamvis concordi sententia astantes Patres Cardinales, Officiales Praelati et Patres Consultores S. Rituum Congregationis affirmavissent ad Beatificationem Ven. Mariae Goretti tuto procedi posse, Nos tamen, maiorem divini luminis copiam implo-

rare cupientes, supremam Nostram pandere sententiam ad diem vicesimum primum mensis Maii distulimus: quo die, uti de more, post litatum divinum Sacrificium, coram S. R. E. Cardinali, Causae Ponente, S. Rituum Congregationis Viro a Secretis, et Fidei Promotore Generali decrevimus: *Tuto procedi posse ad Venerabilis Mariae Goretti sollemnem Beatificationem*. Quae tamen, ob gravia temporis adiuncta, biennio post, die vicesimo septimo mensis Aprilis, in Petriana Basilica, celebrata fuit.

Quam Ecclesiae sanctae sententiam Deus ipse miraculis, invocato novensilis Beatae nomine, patratis, confirmare visus est. Quapropter dilecto Filio P. Mauro ab Immaculata Congregationis a Passione Sodale, huius Causae Postulatore, rogante, postquam res in ordinario coetu S. Rituum Congregationis disceptata fuit, die tertio mensis Augusti, eodem anno, Commissionem, quam vocant, signavimus raessumptionis Causae ad Canonizationem B. Mariae Goretti, Virginis et Martyris, obtinendam.

En itaque duae sanationes S. Rituum Congregationi exhibitae, quae, interposita B. Mariae Goretti prece, a Deo impertitae dicebantur, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem.

Quarum altera ita narratur. Iosephus Cupo, Francisci filius, operarius, in Romano agro, die octavo mensis Maii, anno millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, dum terram ab aggere removet, ingenti saxo, e summo aggere ruente, ad dexterum pedem adeo vehementer illuditur, ut, pede ilico turgescente, ob cruciatum animo defecerit. Domum illi reverso haematoma enascitur, quod, omnibus faventibus adiunctis, solummodo post viginti dies devinci potuisset. At Iosephus, qui singulari religione erga B. Mariam Goretti tenebatur, ei pluries supplicavit. Hora secunda cum dimidio post meridiem eiusdem diei quo calamitatem acceperat, somno Iosephus corripitur. Asserit ipse se Beatam Mariam martyrii palmam liliumque manu gestantem tunc vidisse eodemque tempore se ex pedis dolore ac tumore levatum fuisse. Post triginta circiter horae momenta expergefactus, pedem omnino sanum invenit, uxore ceterisque portentum admirantibus. Sequenti die perfecte sanus ad interceptum laborem rediit. Atque in recuperata valetudine perseveravit. Nullus medicus, ante sanationem, infirmum, ob breve temporis spatium visitavit. Aegrorum quaedam ministra hunc turgorem vere haematoma fuisse edixit; quam diagnosim duo ex officio periti ipsumque S. Rituum Congregationis medicum collegium confirmaverunt, simulque hanc sanationem soli Deo esse tribuendam declaraverunt.

Altera sanatio ita describitur. Anna Grossi, Amadei filia, Francisci Musumarra uxor, Albani nata, mense Aprili exeunte, anno millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, gravi essudativa pleurite attacta fuit, quae in peius sequentibus diebus saeviit. Cum autem die quarto mensis Maii illa patrocinium B. Mariae implorare coepisset ac foliolum de floribus prope Beatae corpus in Basilica Ss. Ioannis et Pauli appositis devote deglutivisset, sequenti die febri omnino et perseveranter expedita fuit. Medens, qui Beatam invocatam fuisse nesciebat, miraculum conclamavit. Duo periti ex officio et medicum S. Rituum Congregationis collegium diagnosim, prognosim, iudicium a medente edita plene confirmaverunt. De utraque sanatione constructus est in Urbe processus Apostolicus, atque in Congregatione *antepreparatoria* hac de re suffragium collegii medici expensum. Porro die septimo decimo Maii mensis anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono, coetus *praeparatorius* est coactus, et sexto die Decembris eiusdem anni coram Nobis *generalis* coetus, in quo venerabilis Frater Noster Clemens S. R. E. Cardinalis Micara, S. Rituum Congregationis Praefectus et Causae Ponens, dubium proposuit: *An et de quibus miraculis post indultam Beatae Mariae Goretti ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Astantes Patres Cardinales, Praelati Officiales et Consultores in unam eandemque affirmativam sententiam tulere suffragia. Quibus auditis, Nos per Decretum sequenti die undecimo eiusdem mensis sollemniter ediximus: *Constare de duobus miraculis, B. Maria Goretti interveniente, a Deo patratis, nimirum, de instantanea perfectaque sanatione cum Iosephi Cupo a gravi haematomate in pede dextero, tum Annae Grossi Musumarra a gravi pleurite essudativa.*

Quod unum ad acta Causae apud S. Rituum Congregationem complenda deerat, in *generali* Congregatione coram Nobis celebrata die tertio decimo eiusdem mensis actum est, cum de dubio disceptatum est, quod de *Tuto* vocatur. In qua Congregatione, quamvis omnes qui aderant Cardinales, Praelati Officiales et Consultores affirmavissent *Tuto* procedi posse, stante approbatione duorum, quae supra diximus, miraculorum post indultam B. Mariae Goretti ab Apostolica Sede venerationem, ad sollemnem ipsius Canonizationem, Nos tamen interponendum diximus temporis intervallum ad expetendum maioris etiam gratiae lumen. Die autem duodecimo mensis Ianuarii vertentis anni, sacris operati, astantibus venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinale Micara, atque venerabili Fratre Alfonso Carinci et Salvatore Natucci,

quos supra memoravimus, *Tuto procedi posse ad B. Mariae Goretti Canonizationem* ediximus.

Quibus omnibus, quemadmodum descripsimus, comparatis, ut ordo a Decessoribus Nostris sapientissime constitutus plene servaretur, primum quidem in Consistorium secretum S. R. E. Cardinales in diem sextum decimum superioris mensis Martii ad Nos accivimus, eorum sententiam rogaturi. In quo venerabilis Frater Noster Clemens Cardinalis Micara, S. Rituum Congregationis Praefectus, de vita, gestis, virtutibus et miraculis Bb. Antonii Mariae Claret et Vincentii Strambi, Confessorum Pontificum, atque Bb. Mariae Goretti, Virginis et Martyris, Mariae Gulielmae Aemiliae de Rodat et Mariae Annae a Iesu de Paredes, Virginum, brevem sermonem habuit, et singulorum acta recensuit, quae in Causis Beatificationis et Canonizationis S. Rituum Congregatio, re prius severe deliberata, sumpserat, et probaverat. Quibus peractis, Nos astantium Cardinalium singulorum sententiam rogavimus. Mox Consistorium publicum habuimus ad sollemnem eorundem Beatorum et Beatarum Canonizationis perorationem dicendam: quam pro Beata Maria Goretti ornato sermone dixit dilectus Filius Franciscus Xaverius Parisi, Consistorialis Aulae Advocatus, qui Nos enixe rogavit ut ad optatam Canonizationem quam primum deveniremus. Nos vero, quamvis rem properare vehementer cuperemus, de ea non antea decreturos diximus quam, secundum translaticium Decessorum Nostrorum morem, in Consistorio *semipublico,* quod vocatur, iterum Purpurati Patres, atque Sacrorum Antistites in Urbe affuturi, suam aperirent Nobis mentem. Mandavimus propterea ut singulis Antistitibus de singulorum Beatorum et Beatarum, quos memoravimus, vita, virtutibus et miraculis ac de actis in eorum Causis, a S. Rituum Congregatione commentarii mitterentur, ut ipsi, re plene cognita, suam possent ferre sententiam.

Die porro vicesimo septimo mensis Martii Consistorium istud in sueta Palatii Vaticani Aula habitum est, cui non pauci affuere Antistites ex vicinioribus praesertim dioecesibus, qui cum amplissimo Cardinalium Collegio in unam sententiam convenerunt ut propositae Canonizationes quam primum celebrarentur. Quae suffragia laeto accipientes animo, diximus Nobis quoque in votis esse quinque Beatos illos Caelites ad summum sanctitudinis fastigium evectos declarare; ac statuimus sollemnes eiusmodi caeremonias per huius Anni Sacri decursum, Deo iuvante, peragere. Interea omnes astantes rogavimus venerabiles Fratres ut Nobiscum suas coniungere vellent preces ut haec feliciter evenirent.

De quibus omnibus ut iuridica acta conficerent dilectis Filiis qui astabant Protonotariis Apostolicis mandavimus.

Brevi tempore interiecto sollemnia B. Mariae Goretti Canonizationis in hodiernum diem vicesimum quintum Iunii mensis peragenda indiximus. Cum vero animadvertissemus tantas christifidelium multitudines ex omnibus terrae regionibus et multa millia ex ipso agro Romano in hanc Almam Urbem venturos esse ut singulari huic triumpho interessent, Nos, ne longe maior pars peregrinorum sollemni caeremonia privaretur, ipsam Canonizationem pridie illius diei vespere in conspicuo ad Petrianam Basilicam ascensu fieri velle renuntiavimus, et constituto vicesimo quinto die intra Basilicam sollemne Sacrum Pontificali ritu in novensilis Sanctae Virginis et Martyris honorem peragere statuimus.

Dicto igitur die, in Petrianum forum, stipatum confertissima hominum variarum linguarum multitudine, quos inter erant Beatae glorificandae duo fratres, duae sorores aliique cognati, universis saecularis et regularis cleri ordinibus, Romanae Curiae Praesulibus et Officialibus, Abbatibus, Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis et S. R. E. Cardinalium Collegio praeeuntibus, Nos ipsi, ex Aede Sixtina exeuntes, sollemni pompa, hora sexta post meridiem descendimus et ad thronum, in Basilicae pronao collocatum, accessimus, ibique sedimus. E quodam Vaticani Palatii suggestu inspectabat Beatae Mariae mater, octogenario maior.

Tunc, praestita prius Nobis, uti de more, ab astantibus Cardinalibus oboedientia, venerabilis Frater Noster Clemens S. R. E. Cardinalis Micara, S. Rituum Congregationis Praefectus et huic Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Francisco Xaverio Parisi, Consistorialis Aulae Advocato, *instanter, instantius* et *instantissime* a Nobis efflagitavit, ut Beatae Mariae Goretti Sanctorum honores decerneremus. Dilectus filius Antonius Bacci, ab Epistolis ad Principes, nomine quidem Nostro, dixit sollemne iam advenisse momentum, quo Nos oraculum laturi essemus. Sancti igitur Divini Spiritus lumine implorato, atque omnibus aperto capite surgentibus, Nos, in Cathedra sedentes, de plenitudine Apostolici Nostri Ministerii sollemniter sic pronuntiavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra; matura deliberatione praehabita, et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, in Urbe exsistentium, consilio, Beatam Mariam Goretti, Sanctam esse de-*

cernimus et definimus ac Sanctorum catalogo ascribimus: statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno, die eius natali, sexta nempe Iulii, inter Sanctas Virgines et Martyres pia devoctione recoli debere. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus✠Sancti. Amen. Qua Canonizationis formula a Nobis prolata, precibus annuentes eiusdem Cardinalis Micara, per eundem Consistorialis Aulae Advocatum Nobis oblatis, Decretales Litteras confici et sub plumbo expediri iussimus; praesentibus autem Protonotariis Apostolicis ut de huius Canonizationis memoria publicum conficerent instrumentum mandavimus. Cum autem ferventissimus plausus ac fremitus immensae multitudinis novensili Sanctae acclamantis cessasset, Nos, brevi omnes sermone alloquentes, praeclarae Virginis Martyris gloriam praedicavimus atque omnes christifideles ad imitationem illius innocentiae indomitaeque animi fortitudinis, quibus tantopere nostrum indiget saeculum, excitavimus. Gratias mox omnipotenti Deo cum confertissima cleri populique multidudine acturi, hymnum *Te Deum* cecinimus ac primum deinde novensilis Sanctae patrocinium invocavimus et Apostolicam benedictionem Urbi et Orbi cum plena admissorum indulgentia peramanter impertivimus.

Postridie in Nostra Patriarchali Basilica, magnificentissime ornata innumerisque splendenti lychnis atque maxima fidelium multitudine stipata, Pontificale Sacrum in honorem S. Mariae Goretti, quam pridie Nobis licuerat Caelitum redimire gloria, egimus; in quo post Evangelium gloriosae Virginis et Martyris breve teximus elogium illamque toto corde apprecati sumus ut ipsa, e caelestibus sedibus, ubi sempiterna fruitur beatitate, a Divino Redemptore precando impetraret, ut omnes, pro peculiari cuiusque nostrae vitae condicione, praeclara vestigia sua libentes, volentes operantesque sequeremur. Homilia prolata, benedictionem Apostolicam et plenam admissorum indulgentiam universis astantibus impertivimus, moxque sollemnissimo ritu incruentum Sacrificium perfecimus.

Praeclarae itaque huius invictae Virginis et Martyris Nostris hisce Litteris consecrata memoria, omnibus bene perpensis, certa scientia deque Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine omnia et singula quae supra diximus iterum confirmamus, roboramus, statuimus, decernimus atque universae Ecclesiae catholicae denuntiamus.

Mandamus insuper ut harum Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis eiusque sigillo munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae iisdem hisce haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Si quis autem Decretales has

Litteras Nostrae definitionis, decreti, ascriptionis, mandati, statuti et voluntatis Nostrae ausu temerario infringere vel eis contraire, aut id attentare praesumpserit; indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Iubilaei millesimo nongentesimo quinquagesimo, die vicesimo quinto mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Ego PIUS, catholicae Ecclesiae Episcopus.



✠ Ego EUGENIUS, Episcopus Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae, Cardinalis TISSERANT, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego CLEMENS, Episcopus Veliternus, Cardinalis MICARA.

✠ Ego JOSEPHUS, Episcopus Albanensis, Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS, Episcopus Praenestinus, Cardinalis ALOISI MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES, Episcopus Sabinensis et Mandelensis, Cardinalis PIAZZA.

✠ Ego FRIDERICUS, Episcopus Tusculanus, Cardinalis TEDESCHINI, Datarius.

Ego ALEXANDER, titulo S. Mariae in Cosmedin, Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego PETRUS, titulo S. Crucis in Hierusalem, Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego DOMINICUS, titulo S. Apollinaris, Presbyter Cardinalis IORIO.

Ego MAXIMUS, titulo S. Mariae in Porticu, Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS, S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus, Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.
Ego IOANNES, S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.
Ego IOSEPHUS, S. Eustachii Diaconus Cardinalis BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario
✠ E. Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus.

✠ C. Card. MICARA
S. Rituum Cong. Pro-Praefectus

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Ioseph Caprio, *Proton. Apost.*

Reg. in Can. Ap. Vol. LXXIX, n. 97.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

LEOPOLDOPOLITANUS (KOLENSIS)

E VICARIATU APOSTOLICO LEOPOLDOPOLITANO TERRITORII PARTES SEIUNGUNTUR, EX QUIBUS NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA, KOLENSIS NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad catholicam fidem latius in Congo Belgicae ditionis prolatandam, peropportunum visum est e latissimo Vicariatus Apostolici Leopoldopolitani territorio partes seiungere et novam exinde Praefecturam Apostolicam erigere, eamque Evangelii praeconibus Congregationis a Sacris Cordibus Iesu et Mariae committere, qui ibidem, una cum sollertibus Congregationis Immaculati Cordis Mariae sodalibus, quorum curis Vicariatus ille Leopoldopolitanus concreditus est, iamdiu cum non mediocri religionis incremento allaborant. Venerabiles itaque Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositi, audita favorabili sententia venerabilis Fratris Petri Sigismondi, Archiepiscopi titulo Neapolitani in Pisidia, et in Congo Belgico et in Ruanda Urundi Delegati Apostolici, ac re mature perpensa,

integra territoria de *Lomela* et de *Dekese,* nec non partem territorii de *Kole* et orientalem partem territorii de *Oshwe,* ad Apostolicum, quem memoravimus, Vicariatum Leopoldopolitanum hucusque pertinentes, distrahenda censuerunt et novam exinde Praefecturam Apostolicam, *Kolensem* nomine appellandam, erigere. Nos vero, audito venerabili Fratre S. Congregationis Fidei Propagandae a Secretis, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia ac de Nostrae potestatis apostolicae plenitudine, Kolensem Praefecturam Apostolicam, territorio quod propositum est constantem, erectam et constitutam decernimus ac declaramus, eamque impigris sodalium Congregationis a Sacris Cordibus Iesu et Mariae curis, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, committimus. Novae itaque huic Praefecturae Apostolicae Kolensi omnia attribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur, eosque pariter iisdem obstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri obstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die quarto decimo mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 84.

II

MARIANOPOLITANA-OTTAVIENSIS-MONTIS LAUREI (SANCTI HIERONYMI)

AB ARCHIDIOECESIBUS MARIANOPOLITANA ET OTTAVIENSI ATQUE A DIOECESI MONTIS LAUREI QUADRAGINTA IN TOTO PAROECIAE SEIUNGUNTUR ET EXINDE NOVA ERIGITUR DIOECESIS, QUAE SANCTI HIERONYMI NUNCUPABITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad catholicum nomen latius per orbem prolatandum et dominicum gregem per Sacrorum Antistites facilius et salubrius pascendum, maxime iuvat ita ecclesiarum circumscriptiones ordinari ut fidelium necessitatibus pro locorum adiunctis aptius respondeant. Quamobrem Apostolica Sedes perampla alicubi dioecesium territoria dispertire curat et novas inde dioeceses constituere aliorum vigilantium Pastorum regimini concredendas. Quae quidem perpendentes, Nos venerabilis Fratris Hildebrandi Antoniutti, Archiepiscopi titulo Sinnadensis in Phrygia, in ditione Canadensi Delegati Apostolici, preces Nobis oblatas excipiendas duximus, quibus ille, favorabili habita sententia venerabilium Fratrum Pauli Aemilii Léger, Archiepiscopi Marianopolitani, Alexandri Vachon, Archiepiscopi Ottaviensis et Iosephi Eugenii Limoges, Episcopi Montis Laurei, postulavit ut quaedam territoria ab istorum Antistitum dioecesibus seiungi et nova exinde dioecesis condi possit.

Quapropter de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum, suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab archidioecesi Marianopolitana triginta paroecias seiungimus, quarum duodeviginti in comitatu *Terrebonne* exstant, videlicet: *St. Jerôme, St. Antoine, Ste Paule, Ste Marcelle, Lac Marois, Lesage, Mont Rolland, Rosemere, Ste Adèle, Ste Anne de Plaines, St. Hippolyte, St. Janvier, Ste Marguerite, St. Sauveur, Ste Sophie, Ste Thérèse, Terrebonne* et *Val Morin;* aliae autem paroeciae in comitatu *Deux Montagnes* exstant, nempe: *St. Augustin, St. Benoît, St. Canut, St. Columban, St. Hermas, Ste Monique, St. Placide, Ste Scholastique;* ceterae vero in comitatu *Argenteuil,* scilicet:

Ste Anastasie de Lachute, St. Julien, St. André, St. Joseph du Carillon.

Ab archidioecesi Ottaviensi insuper septem paroecias separamus, in comitatu quem memoravimus *Argenteuil* exstantes, videlicet: *Brownsburg* cum filiali ecclesia in pago *Wentworth, Calumet, Grenville* cum ecclesia filiali in pago *Pointe au chêne, St. Philippe de Argenteuil, Immaculée Conception de Lachute, Montfort* et *Harrington;* a dioecesi demum Montis Laurei tres paroecias in eodem comitatu *Argenteuil* exstantes, scilicet *Huberdeau, Lac des seize Isles* cum ecclesia filiali in pago *Weir,* et *St. Adolphe de Howard.* Territorium universas quadraginta has paroecias complectens in novam erigimus et constituimus dioecesim, cui nomen erit Sancti Hieronymi. Episcopalem sedem in urbe figimus vulgo *St. Jerôme,* quam proinde ad civitatis episcopalis dignitatem evehimus cum omnibus iuribus et privilegiis ad civitates episcopales pertinentibus; Episcopi vero cathedram in sacra aede Deo in honorem S. Hieronymi constituimus, ibidem exstante, quam proinde ad Ecclesiae Cathedralis gradum extollimus eique et pro tempore Episcopis Sancti Hieronymi omnia tribuimus iura, honores, insignia, privilegia, favores et gratias, quibus ceterae per orbem cathedrales Ecclesiae earumque Episcopi iure communi fruuntur illosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur.

Novam porro hanc cathedralem Ecclesiam Sancti Hieronymi suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae eiusque pro tempore Episcopos metropolitico subicimus iuri Archiepiscopi Marianopolitani. Praeterea usque dum Capitulum Cathedrale constitui nequeat, indulgemus ut, ad iuris tramitem, pro Canonicorum hoc Episcopi senatu dioecesani Consultores eligantur et adhibeantur.

Mandamus insuper ut quamprimum fieri poterit parvum saltem Seminarium dioecesanum iuxta sacros canones et S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus traditas normas modo erigatur, ut iuvenes in sortem Domini vocati in spem Ecclesiae rite instituantur.

Episcopalis autem mensa novae dioecesis Curiae emolumentis et oblationibus, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent, constituatur.

Quod vero ad dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum iura et onera aliaque id genus, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo

ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Mandamus denique ut documenta et acta omnia, quae novam hanc dioecesim eiusque clericos et fideles respiciunt, a Cancellariis Marianopolitanae, Ottaviensis et Montis Laurei dioecesium, ad Cancellariam dioecesis Sancti Hieronymi quamprimum fas erit transmittantur, ut in huius tabulario religiose serventur.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta perficienda venerabilem quem supra memoravimus fratrem in ditione Canadensi Delegatum Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu eidem Delegationi praesit, deligimus et illi necessarias et opportunas attribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus iniungimus ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum transmittendi authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum.

Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, ac, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum porro Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem Litteris haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, concessionis, statuti, commissionis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die vicesima tertia mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
IOSEPHUS Card. PIZZARDO

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 27.

III

QUEBECENSIS
(S. ANNAE POCATIERENSIS)

AB ARCHIDIOECESI QUEBECENSI TERRITORII PARS SEIUNGITUR, EX QUA NOVA ERIGITUR DIOECESIS S. ANNAE POCATIERENSIS NOMINE, IPSI METROPOLITANAE ECCLESIAE QUEBECENSI SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sollerti studio Apostolica Sedes curat ut Ecclesiarum in orbe catholico circumscriptio ita ordinetur, ut fidelium necessitatibus, quantum fieri possit, pro locorum adiunctis respondeat et Sacrorum Antistitum regimen maiori cum fructu exerceatur. Ex illis itaque dioecesibus, quae ob nimiam territorii amplitudinem ab uno, vel diligentissimo, Pastore regi nequeant, partes seiungendae sunt et aliae exinde dioeceses erigendae, aliis concedendae Antistitibus.

Quod considerantes, Nos accipiendas duximus preces venerabilis Fratris Hildebrandi Antoniutti, Archiepiscopi titulo Sinnadensis in Phrygia et Delegati Apostolici in ditione Canadensi, quibus, accedente consensu venerabilis Fratris Mauritii Roy, Archiepiscopi Quebecensis, petebatur ut e latissimo Archidioecesis Quebecensis territorio pars separaretur in novam dioecesim erigenda.

Nos itaque, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Consistorialibus praepositorum, re mature perpensa ac certa scientia, suppleto, quatenus opus sit aliorum qui sua interesse praesumant consensu, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ab Archidioecesi Quebecensi illam seiungimus territorii partem, quae comitatus civiles *Kamouraska, Islet, Montmagny* et *Rivière du Loup* complectitur, quam in novam erigimus dioecesim S. Annae Pocatierensis ab urbe *Sainte Anne de la Pocatière* appellandam.

Huius dioecesis sedem in hac ipsa urbe constituimus, quam ad civitatis episcopalis fastigium extollimus. Episcopi vero cathedram in sacra aede Deo in honorem S. Annae dicata, in illa urbe exstante, figimus, quam propterea ad Ecclesiae Cathedralis dignitatem evehimus, eique et pro tempore Episcopis S. Annae Pocatierensis honores, insignia, iura et privilegia attribuimus, quibus ceterae episcopales Ecclesiae earum-

que Antistites iure communi gaudent, eosque pariter oneribus et obligationibus astringimus, quibus ceteri astringuntur.

Hanc autem S. Annae Pocatierensis Cathedralem Ecclesiam suffraganeam decernimus Metropolitanae Ecclesiae Quebecensi, cuius Archiepiscopi metropolitico iuri novae sedis Episcopos subicimus.

Indulgemus quoque ut usque dum Canonicorum cathedrale Capitulum constitui nequeat, Consultores dioecesani ad iuris normam eligantur et adhibeantur.

Volumus insuper ut in nova hac dioecesi Seminarium, saltem parvum, erigatur, in quo iuvenes in sortem Domini vocati ad pietatem ac doctrinam instituantur.

Episcopalis S. Annae Pocatierensis dioecesis mensa constituetur Curiae emolumentis et oblationibus quae a fidelibus in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est praeberi solent.

Quod vero attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, servanda iubemus quae sacri Canones praescribunt. Quod autem ad clerum praecique spectat statuimus ut simulac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici in novae dioecesis territorio legitime degentes, eidem ascripti censeantur.

Volumus insuper ut omnia documenta et acta quae novam dioecesim respiciunt, ipsius Curiae quam primum fas erit ab archidioecesis Quebecensis Curia tradantur, ut in eius archivo rite serventur.

Ad quae omnia ut supra disposita exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem in Canadensi ditione Delegatum Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu eidem Delegationi praesit, deligimus et ipsi necessarias et opportunas ad id facultates attribuimus, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto ipsi onere authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum transmittendi.

Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, ac, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus derogamus.

Harum porro Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in eccle-

siastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis.

Nemini vero hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, concessionis, statuti, commissionis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die vicesima tertia mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
IOSEPHUS Card. PIZZARDO

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 25.

ALLOCUTIONES

I

*Iis quae interfuerunt Conventui Unionis Catholicae Italicae inter Ostetrices, Romae habito.**

Vegliare con sollecitudine su quella culla silenziosa e oscura, ove Iddio al germe dato dai genitori infonde un'anima immortale, per prodigare le vostre cure alla madre e preparare al bambino, che ella porta in sè, una nascita felice, ecco, dilette figlie, l'oggetto della vostra professione, il segreto della sua grandezza e della sua bellezza.

Quando si pensa a questa ammirabile collaborazione dei genitori, della natura e di Dio, dalla quale viene alla luce un nuovo essere umano ad immagine e somiglianza del Creatore,[1] come si potrebbe non apprezzare al suo giusto valore il concorso prezioso che voi apportate a tale opera? L'eroica madre dei Maccabei ammoniva i suoi figli: « Io non so per qual modo voi abbiate preso essere nel mio seno; non io vi ho dato

* Habita die 29 Octobris mensis a. 1951.

[1] Cfr. *Gen.* 1, 26-27.

lo spirito e la vita, nè io ho composto l'organismo di ognuno di voi. Dunque il Creatore dell'universo ha formato l'uomo nel suo nascere ».[2]

Perciò chi si appressa a questa culla del divenire della vita e vi esercita la sua azione in uno o in altro modo, deve conoscere l'ordine che il Creatore vuole vi sia mantenuto e le leggi che ad esso presiedono. Poichè non si tratta qui di pure leggi fisiche, biologiche, alle quali necessariamente obbediscono agenti privi di ragione e forze cieche, ma di leggi, la cui esecuzione e i cui effetti sono affidati alla volontaria e libera cooperazione dell'uomo.

Quest'ordine, fissato dalla intelligenza suprema, è diretto allo scopo voluto dal Creatore; esso abbraccia l'opera esteriore dell'uomo e la interna adesione della sua libera volontà; implica l'azione e la doverosa omissione. La natura mette a disposizione dell'uomo tutta la concatenazione delle cause, dalle quali sorgerà una nuova vita umana; all'uomo spetta di sprigionarne la forza viva, alla natura di svilupparne il corso e di condurla a compimento. Dopo che l'uomo ha compiuto la sua parte e ha messo in movimento la maravigliosa evoluzione della vita, il suo dovere è di rispettarne religiosamente il progresso, dovere che gli vieta di arrestare l'opera della natura o d'impedirne il naturale sviluppo.

In tal guisa la parte della natura e la parte dell'uomo sono nettamente determinate. La vostra formazione professionale e la vostra esperienza vi mettono in grado di conoscere l'azione della natura e quella dell'uomo, non meno che le norme e le leggi, a cui ambedue sono soggette; la vostra coscienza, illuminata dalla ragione e dalla fede, sotto la guida dell'Autorità stabilita da Dio, v'insegna fin dove si estende l'azione lecita, e dove invece strettamente s'impone l'obbligo della omissione.

Noi abbiamo spesso e nelle più varie occasioni parlato in favore della famiglia cristiana, e nella maggior parte dei casi per venire o chiamare altri in suo aiuto, per salvarla dalle più gravi angustie. Innanzi tutto per soccorrerla nelle calamità della guerra. I danni cagionati dal primo conflitto mondiale erano ben lungi dall'essere pienamente riparati, quando la seconda anche più terribile conflagrazione venne a mettervi il colmo. Occorreranno ancora molto tempo e molte fatiche da parte degli uomini, ed anche maggiore assistenza divina, prima che comincino a cicatrizzarsi convenientemente le profonde ferite, che quelle due guerre hanno inflitte alla famiglia. Altro male, dovuto in parte anch'esso alle guerre devastatrici, ma conseguenza inoltre della superpopolazione e di singole tendenze inette o interessate, è la crisi delle abitazioni; tutti coloro, legislatori, uomini di Stato, membri di Opere sociali, che si studiano di portarvi rimedio, compiono, sia pure soltanto indirettamente, un apostolato di eminente valore. Lo stesso vale per la lotta contro il flagello della disoccupazione, per il regolamento di un sufficiente salario familiare, affinchè la madre non sia costretta, come troppo spesso avviene, a cercare un lavoro fuori di casa, ma possa dedicarsi maggiormente al marito ed ai figli. Lavorare in favore della scuola e della educazione religiosa: ecco altresì un prezioso contributo al bene della famiglia, come anche favorire in essa una sana naturalezza e semplicità di costumi, rafforzare le convinzioni religiose, sviluppare intorno ad essa un'aura di purezza cristiana, atta a liberarla dai deleteri influssi esteriori e da tutte quelle morbose eccitazioni che destano disordinate passioni nell'animo dell'adolescente.

Ma vi è una miseria anche più profonda, dalla quale occorre preservare la famiglia, vale a dire l'avviliente servaggio, a cui la riduce una mentalità, che tende a farne un puro organismo al servizio della comunità sociale, per procreare ad essa una massa sufficiente di « materiale umano ».

Se non che un altro pericolo minaccia la famiglia, non già da ieri, ma da molto tempo, il quale però al presente, crescendo a vista d'occhio, può divenirle funesto, perchè l'attacca fin nel suo germe; vogliamo dire, lo sconvolgimento della morale coniugale in tutta la sua estensione.

Noi abbiamo, nel corso degli ultimi anni, colto tutte le occasioni per esporre l'uno o l'altro punto essenziale di quella morale, e più recentemente per indicarla nel suo insieme, non solo confutando gli errori che la corrompono, ma anche mostrandone positivamente il senso, l'ufficio,

l'importanza, il valore per la felicità degli sposi, dei figli e di tutta la famiglia, per la stabilità e il maggior bene sociale dal focolare domestico fino allo Stato e alla stessa Chiesa.

Al centro di questa dottrina il matrimonio è apparso come un istituto al servizio della vita. In stretto legame con questo principio, Noi, secondo l'insegnamento costante della Chiesa, abbiamo illustrato una tesi che è uno dei fondamenti essenziali non solo della morale coniugale, ma anche della morale sociale in genere: cioè che il diretto attentato alla vita umana innocente, come mezzo al fine, — nel caso presente al fine di salvare un'altra vita, — è illecito.

La vita umana innocente, in qualsiasi condizione si trovi, è sottratta, dal primo istante della sua esistenza, a qualunque diretto attacco volontario. È questo un fondamentale diritto della persona umana, di valore generale nella concezione cristiana della vita; valido così per la vita ancora nascosta nel seno della madre, come per la vita già sbocciata fuori di lei; così contro l'aborto diretto, come contro la diretta occisione del bambino prima, durante e dopo il parto. Per quanto fondata possa essere la distinzione fra quei diversi momenti dello sviluppo della vita nata o non ancora nata per il diritto profano ed ecclesiastico e per alcune conseguenze civili e penali, — secondo la legge morale, si tratta in tutti quei casi di un grave e illecito attentato alla inviolabile vita umana.

Questo principio vale per la vita del bambino, come per quella della madre. Mai e in nessun caso la Chiesa ha insegnato che la vita del bambino deve essere preferita a quella della madre. È erroneo impostare la questione con questa alternativa: o la vita del bambino o quella della madre. No, nè la vita della madre, nè quella del bambino, possono essere sottoposte a un atto di diretta soppressione. Per l'una parte e per l'altra la esigenza non può essere che una sola: fare ogni sforzo per salvare la vita di ambedue, della madre e del bambino (cfr. Pii XI Encycl. *Casti Connubii*, 31 dec. 1930; *Acta Ap. Sedis* vol. 22, pag. 562-563).

È una delle più belle e nobili aspirazioni della medicina il cercare sempre nuove vie per assicurare la vita di entrambi. Che se, nonostante tutti i progressi della scienza, rimangono ancora, e rimarranno in futuro, casi in cui si debba contare con la morte della madre, quando questa vuol condurre fino alla nascita la vita che porta in sè, e non distruggerla in violazione del comandamento di Dio: non uccidere! — altro non resta all'uomo, che fino all'ultimo momento si sforzerà di aiutare e di salvare, se non d'inchinarsi con rispetto dinanzi alle leggi della natura e alle disposizioni della divina Provvidenza.

Ma — si obbietta — la vita della madre, principalmente di una madre di numerosa famiglia, è di un pregio incomparabilmente superiore a quella di un bambino non ancora nato. L'applicazione della teoria della bilancia dei valori al caso che ora ci occupa ha già trovato accoglimento nelle discussioni giuridiche. — La risposta a questa tormentosa obiezione non è difficile. L'inviolabilità della vita di un innocente non dipende dal suo maggiore o minor valore. Già da oltre dieci anni la Chiesa ha formalmente condannato l'uccisione della vita stimata « senza valore »; e chi conosce i tristi antecedenti che provocarono tale condanna, chi sa ponderare le funeste conseguenze a cui si giungerebbe, se si volesse misurare l'intangibilità della vita innocente secondo il suo valore; ben sa apprezzare i motivi che hanno condotto a quella disposizione.

Del resto, chi può giudicare con certezza quale delle due vite è in realtà più preziosa? Chi può sapere quale sentiero seguirà quel bambino e a quale altezza di opere e di perfezione esso potrà giungere? Si paragonano qui due grandezze, di una delle quali nulla si conosce.

Noi vorremmo a questo proposito citare un esempio, che forse è già noto al alcuni di voi, ma che non perde perciò il suo suggestivo valore. Esso risale al 1905. Viveva allora una giovane donna, di nobile famiglia e di anche più nobili sensi, ma gracile e delicata di salute. Adolescente, era stata malata di una piccola pleurite apicale, che sembrava guarita; allorchè, però, dopo aver contratto un felice matrimonio, ella sentì una nuova vita sbocciare nel suo seno, avvertì ben presto uno speciale malessere fisico, che costernò i due valenti sanitari, i quali vegliavano con amorosa sollecitudine su di lei. Quel vecchio processo apicale, quel focolaio già cicatrizzato si era ridestato; a loro giudizio, non vi era tempo da perdere: se si voleva salvare la soave signora, occorreva provocare senza il minimo indugio l'aborto terapeutico. Anche lo sposo comprese la gravità del caso e si dichiarò consenziente all'atto doloroso. Ma quando l'ostetrico curante le annunziò con ogni riguardo la deliberazione dei medici, scongiurandola di arrendersi al loro parere, ella con accento fermo rispose: « La ringrazio dei suoi pietosi consigli; ma io non posso troncare la vita della mia creatura! Non posso, non posso! Io la sento già palpitare nel mio seno; essa ha diritto di vivere; essa viene da Dio e deve conoscere Dio per amarlo e goderlo ». Anche il marito pregò, supplicò, implorò; ella rimase inflessibile e attese serenamente l'evento. Una bambina nacque regolarmente; ma subito dopo la salute della madre andò peggiorando. Il focolaio polmonare si estese; il deperimento divenne progressivo. Due mesi dopo ella era agli estremi; ella rivide la sua piccina, che cresceva sana presso una robusta nutrice; le sue labbra

si atteggiarono a un dolce sorriso, e placidamente spirò. Trascorsero vari anni. In un Istituto religioso si poteva particolarmente notare una giovane Suora, tutta dedita alla cura e alla educazione della infanzia abbandonata, che con occhi spiranti amore materno si chinava sui piccoli infermi, quasi per dar loro la vita. Era lei, la figlia del sacrificio, che ora col suo gran cuore diffondeva tanto bene fra i bambini derelitti. L'eroismo della intrepida madre non era stato vano! (cfr. Andrea Majocchi, *Tra bistori e forbici*, 1940, pag. 21 e segg.). Ma Noi domandiamo: È forse il senso cristiano, anzi anche puramente umano, dileguato a tal punto, da non saper più comprendere il sublime olocausto della madre e la visibile azione della Provvidenza divina, che da quell'olocausto fece nascere un così splendido frutto?

Noi abbiamo di proposito usato sempre l'espressione « *attentato diretto alla vita dell'innocente* », « *uccisione diretta* ». Poichè se, per esempio, la salvezza della vita della futura madre, indipendentemente dal suo stato di gravidanza, richiedesse urgentemente un atto chirurgico, o altra applicazione terapeutica, che avrebbe come conseguenza accessoria, in nessun modo voluta nè intesa, ma inevitabile, la morte del feto, un tale atto non potrebbe più dirsi un *diretto* attentato alla vita innocente. In queste condizioni l'operazione può essere lecita, come altri simili interventi medici, sempre che si tratti di un bene di alto valore, qual è la vita, e non sia possibile di rimandarla dopo la nascita del bambino, nè di ricorrere ad altro efficace rimedio.

Poichè dunque l'ufficio primario del matrimonio è di essere al servizio della vita, il Nostro principale compiacimeto e la Nostra paterna gratitudine vanno a questi sposi generosi, che per amore di Dio, e fidando in Lui, allevano coraggiosamente una famiglia numerosa.

D'altra parte, la Chiesa sa considerare con simpatia e comprensione le reali difficoltà della vita matrimoniale ai nostri giorni. Perciò nell'ultima Nostra allocuzione sulla morale coniugale abbiamo affermato la legittimità e al tempo stesso i limiti — in verità ben larghi — di una regolazione della prole, la quale, contrariamente al cosidetto « *controllo delle nascite* », è compatibile con la legge di Dio. Si può anzi sperare (ma in tale materia la Chiesa lascia naturalmente il giudizio alla scienza medica) che questa riesca a dare a quel metodo lecito una base sufficientemente sicura, e le più recenti informazioni sembrano confermare una tale speranza.

Del resto, a vincere le molteplici prove della vita coniugale valgono soprattutto la fede viva e la frequenza dei Sacramenti, donde scaturiscono torrenti di forza, della cui efficacia coloro che vivono fuori della

Chiesa difficilmente possono farsi una chiara idea. E con questo richiamo ai superiori ausili desideriamo di concludere il Nostro dire. Potrebbe anche a voi, diletti figli e figlie, un giorno o l'altro accadere di sentire il vostro coraggio vacillare sotto la violenza della bufera scatenata intorno a voi, e anche più pericolosamente nell'interno della famiglia, dalle dottrine sovertitrici della sana e normale concezione delle nozze cristiane. Abbiate fiducia! Le energie della natura e soprattutto quelle della grazia con cui il Signore ha arricchito le vostre anime nel Sacramento del matrimonio, sono come una rocca ferma, contro cui si frangono impotenti le onde di un mare in tempesta. E se i drammi della guerra e del dopoguerra hanno colpito il matrimonio e la famiglia con ferite ancora sanguinanti, tuttavia in quegli anni anche la costante fedeltà e la salda perseveranza degli sposi, e l'amore materno pronto a indicibili sacrifici, hanno riportato in innumerevoli casi veri e splendidi trionfi.

Proseguite dunque strenuamente il vostro lavoro, fiduciosi nell'aiuto divino, in auspicio del quale impartiamo con effusione di cuore a voi e alle vostre famiglie la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

NUNTIUS RADIOPHONICUS

CHRISTIFIDELIBUS ITALIAE EX ALLUVIE AFFLICTIS *

Con indicibile schianto abbiamo dinanzi all'occhio del Nostro spirito l'immane sciagura, che si è abbattuta in questi giorni su tanti carissimi figli della valle del Po, a così breve intervallo da quella che ha devastato talune fra le più fiorenti regioni del Mezzogiorno d'Italia, della Sicilia e della Sardegna.

Con ansia e dolore di Padre abbiamo seguito e seguiamo, ora per ora, le luttuose vicende della formidabile catastrofe, di cui ben misuriamo la gravità e l'ampiezza.

Mentre non lasciamo d'innalzare le Nostre più fervide preghiere alla divina Clemenza a favore di tanti amatissimi figli, così acerbamente provati, desideriamo che giunga loro la testimonianza del Nostro cuore affranto, ma fiducioso, ed insieme l'assicurazione della cristiana assistenza di tutti i buoni, con spontaneo e mirabile ardore già in atto.

Dilettissimi figli e figlie, dalla furia devastatrice delle acque strappati alle vostre case, ai vostri campi, alle vostre città! Occorre forse

* Datus die 18 Novembris mensis a. 1951.

dirvi che il Papa, in questa ora di lutto, è più che mai a voi vicino? Tra le angustie e le sollecitudini, che da ogni parte Ci premono, la vostra sventura sommamente Ci addolora! Siatene certi, e ripetetelo ai vostri cari, ai vostri bambini, a tutti coloro, il cui spirito è invaso dallo sconforto. Noi viviamo in questi giorni tutti i vostri affanni, tutte le vostre pene. Di giorno e di notte ridiciamo a Noi stessi, uno per uno, il nome delle città e dei borghi devastati o distrutti. Abbiamo letto e ascoltato le singole vicende della vostra tragedia, e Ci rendiamo pienamente conto della dura condizione in cui vi dibattete al presente.

Nel Nostro cuore si è ripercosso il medesimo sgomento, che voi sentite dinanzi ai vostri beni perduti. È Nostro il vostro dolore per i familiari scomparsi, per la casa perduta, per il lavoro annientato, per il momentaneo esilio, per le strazianti separazioni, per i poveri defunti, ai quali imploriamo la eterna pace. Tutto ciò che abbiamo potuto e che possiamo fare per lenire le vostre pene, per soccorrere le vostre miserie, abbiamo fatto e faremo.

Coraggio, carissimi figli, coraggio e fiducia! Il misericordioso Iddio ama coloro che prova; ama i buoni, perchè sempre più purifichino nel dolore le loro anime e si elevino con maggior impeto al desiderio delle cose celesti; ama i peccatori, affinchè si convertano e ritornino pentiti a Lui. L'amorevole e onnipotente Bontà divina saprà ricondurli alle vostre case e a giorni migliori con quel mistero di misericordia, con cui ha permesso ciò che è accaduto. Non dimenticate Dio in questa ora funesta; a Lui alzate la vostra voce nella preghiera del *Pater noster,* trovando nella vostra ferma fede la forza cristiana di ripetere con umiltà ed amore: sia fatta la volontà Tua, come in cielo così sulla terra!

E a voi, diletti figli di tutta Italia, che in nobile gara di fraterna pietà, dal primo all'ultimo cittadino, siete stati pronti a soccorrere gli sventurati fratelli, giunga la testimonianza paterna della Nostra ammirazione, della Nostra gratitudine, ed insieme l'esortazione ad aumentare con sempre maggior lena il soccorso.

Immenso conforto Ci ha arrecato l'apprendere l'abnegazione, e talora l'eroismo, di molti fra voi, che non hanno esitato a sacrificare e mettere a repentaglio la stessa loro vita per salvare bambini, donne, vecchi, infermi. Ci è del pari nota la pronta e indefessa sollecitudine delle Autorità ecclesiastiche e civili, delle forze armate, dei vigili del fuoco, degli enti tecnici, della radio, dei volontari, per ridurre al minimo possibile il tremendo disastro. La commovente gara di assistenza, che fin dalle prime notizie si è accesa fra istituti, gruppi, associazioni, partiti, diocesi e parrocchie, per confortare, accogliere, sfamare i pro-

fughi, non solo conferma l'innata bontà di questo popolo, ma varrà anche a rinsaldare quel legame, che di una nazione fa una sola famiglia. Occorre che questo impulso di carità continui. Incalcolabili sono e saranno i bisogni, urgenti le richieste di aiuto. Per tanti fanciulli, per tante famiglie, per tanti lavoratori e contadini, che non hanno più casa, non più campi, non più bestiame, non più officine, non più suppellettili, non più vestiti, che tutto hanno perduto, il Papa tende ancora una volta la mano. La tende a voi, figli d'Italia, ma la tende anche a tutti i cuori generosi e cristiani, per i quali ogni fratello nella fede è membro del medesimo Corpo mistico di Cristo. Noi non dubitiamo menomamente che questa Nostra invocazione sarà accolta, con l'alacrità amorosa a Noi ben nota, dai Nostri Venerabili Fratelli nell'Episcopato, dal Clero secolare e regolare, dai fedeli tutti, in quanto è a loro possibile. Urge che tanti derelitti, tolti così tragicamente dal calore della propria dimora, sentano prima di tutto il calore del Nostro e del vostro cuore.

È questo il momento in cui Gesù più specialmente si rivolge a ciascuno di voi per bocca di quegli infortunati: Eccomi; io ho fame, io ho sete, io non ho di che coprirmi, non ho dove ripararmi nel crudo inverno imminente. Alla pronta attuazione della vostra carità risponderà un giorno, come sicuro premio, l'invito al possesso della casa stessa del Padre celeste.

Sorretti da questa fede, che vive ed opera nella carità,[1] innalzate la vostra mente a Dio, consolatore degli afflitti e Padre dei poveri, affinchè, per intercessione del Cuore materno di Maria, faccia risplendere su quelle desolate regioni l'ilare suo volto e ridoni a tante famiglie la casa, il lavoro, la speranza e la pace.

Con questi voti discenda su di voi, e in particolar modo sui doloranti Nostri figli, oggi più che mai stretti al Nostro cuore, propiziatrice dei divini favori, la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

[1] Cfr. *Gal.* 5, 6.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 1 Augusti 1951. — Cathedrali Ecclesiae Segobricensi praefecit R. D. Josephum Pont Gol, canonicum Capituli Cathedralis Celsonensis.

die 20 Octobris 1951. — Cathedrali Ecclesiae De Aguas Calientes R. D. Salvatorem Quezada, parochum in pago vulgo *Jalostotitlàn*, archidioecesis Guadalajarensis.

— Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Simonis Laurentii Salvi, Episcopi Titularis Diocaesariensis in Palaestina et Abbatis Abbatiae *nullius* Sublacensis, R. P. D. Aegidium Gavazzi, e Congregatione Cassinensi a primaeva observantia O. S. B.

die 26 Octobris 1951. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Nicaenae, Exc. P. D. Hilarium Alcini, Visitatorem Seminariorum in Italia, hactenus Episcopum titularem Dionysiensem.

die 26 Octobris 1951. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Heliopolitanae in Phoenicia Exc. P. D. Danielem Rivero, hactenus Archiepiscopum Sucrensem.

— Cathedrali Ecclesiae Cochabambensi Exc. P. D. Joannem Tarcisium Senner, hactenus Episcopum titularem Rusaditanum.

— Cathedrali Ecclesiae Orurensi Exc. P. D. Bertholdum Bühl, hactenus Episcopum titularem Cartennitanum.

die 27 Octobris 1951. — Metropolitanae Ecclesiae Sucrensi Exc. P. D. Josephum Clementem Maurer, hactenus Episcopum titularem Ceaensem.

die 28 Octobris 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Thagastensi R. D. Antonium Poma, Rectorem Seminarii episcopalis Papiensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Dominici Menna, Episcopi Mantuani.

die 30 Octobris 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Neocaesariensi

in Syria Revmum D. Marcellum Riopel, Vicarium Generalem archidioecesis Rhedonensis, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Clementis Aemilii S. R. E. Cardinalis Roques, Archiepiscopi Rhedonensis.

die 4 Novembris 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Chomatitanae R. D. Aloisium Carolum Borromeo, Pro-Vicarium Generalem dioecesis Laudensis et Canonicum Capituli Cathedralis, quem constituit Auxiliarem Exc. P. D. Petri Calchi Novati, Episcopi eiusdem dioecesis Laudensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Hipponensi R. D. Gulielmum Bosetti, Praepositum-Parochum ecclesiae S. Alexandri in civitate Brixiensi, quem constituit Auxiliarem Exc. P. D. Hyacinthi Tredici, Episcopi Brixiensis.

die 12 Novembris 1951. — Cathedrali Ecclesiae Tagbilaranae Exc. P. D. Emanuelem Mascariñas, hactenus Episcopum Palensem.

— Cathedrali Ecclesiae Palensi R. D. Linum Gonzaga, parochum ecclesiae cathedralis in urbe vulgo *Palo*, dioecesis Palensis.

die 17 Novembris 1951. — Metropolitanae Ecclesiae Olindensi et Recifensi Exc. P. D. Antonium Almeida Moraes, hactenus Episcopum Montisclarensem.

die 23 Novembris 1951. — Metropolitanae Ecclesiae Philadelphiensi Exc. P. D. Joannem Franciscum O'Hara, hactenus Episcopum Buffalensem.

die 1 Decembris 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Verbianae Exc. P. D. Petrum Ossola, hactenus Episcopum Montis Alti et Ripanum.

die 10 Decembris 1951. — Cathedralibus Ecclesiis Montis Alti et Ripanae, *in personam* unitis, R. D. Vincentium Radicioni, cubicularium intimum supra numerum Sanctitatis Suae, Delegatum archiepiscopalem Anconitanae archidioecesis et parochum ecclesiae Visitationis B. M. V. loci vulgo « Falconara Alta ».

15 Decembris 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Citiensi R. D. Blasium D'Agostino, Cubicularium intimum supra numerum Sanctitatis Suae, Vicarium Generalem et Archidiaconum Capituli Cathedralis dioecesis Thermularum, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Oddonis Bernacchia, Episcopi Larinensis et Thermularum.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DE VINH

DECRETUM

VICARIATUS APOSTOLICUS DE VINH CLERO SAECULARI INDOSINENSI CONCREDITUR.

Cum in Vicariatu Apostolico de Vinh, Indosinensibus in regionibus, Patribus Societatis Parisiensis missionum ad exteras gentes hucusque commisso, ob adsiduum laborem constantemque zelum eorundem Patrum clerus indigena ita auctus sit ut ad regimen eiusdem Vicariatus Apostolici de Vinh suscipiendum per se ipse aptus sufficiensque evaserit, Emi ac Revmi Patres huic Sacro Consilio Fidei Propagandae praepositi, in plenariis comitiis die XI mensis Iunii vertentis anni habitis, praefatum Vicariatum Apostolicum de Vinh, per obitum Excmi P. D. Andreae Leontii Iosephi Eloy, praedictae Societatis sodalis, in praesens vacantem, clero saeculari Indosinensi concredendum censuerunt.

Quam Emorum Patrum sententiam Ssmus D. N. Pius Div. Prov. Papa XII, in Audientia diei XIV eiusdem mensis Iunii, ratam habuit et confirmavit praesensque ad rem Decretum confici et publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die XIV mensis Iunii a. D. MCMLI.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

NUCERINA PAGANORUM

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI ALFONSI MARIAE FUSCO, SACERDOTIS, FUNDATORIS INSTITUTI SORORUM A S. IOANNE BAPTISTA.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Angria, frequens in Salernitana provincia oppidum intra Nuceriae Paganorum dioecesis fines, Servi Dei Alfonsi Mariae Fusco natale solum fuit. Qui ex Aniello ac Iosepha Schiavone, die 23 martii anno 1839 natus eodem die baptizatus fuit. Alfonsi nomen impositum ei est, quia genitoribus prole carentibus optimus quidam Congregationis Ss. Redemptoris sodalis praedixerat nasciturum filium eumque sacerdotem fore Beatique Alfonsi de Ligorio, non multo post canonizandi, imitatorem.

Ad pietatem inclinis, anno 1850 in dioecesano clericali seminario bonarum artium, philosophiae ac theologiae studia rite perfecit, dieque 29 maii anno 1863 ad sacrum Presbyteratus ordinem fuit promotus. Biennio post, sacramentum paenitentiae ministrare atque verbum Dei praedicare coepit. Cui ministerio exercendo plurimum attendit, praecipue sacris expeditionibus. Cholerico morbo saeviente, dum infirmos, pericula spernens, curat, eodem morbo inficitur, sed convalescit.

Infelicem periculisque obnoxiam, plurium puerorum, puellarum praesertim, condicionem miseratus, quomodo tot malis posset occurri animo versavit. Effusis precibus, divino beneplacito agnito, plurimisque adversis adiunctis patienter, fortiter, animo divinae voluntati apprime composito, superatis, Sororum Institutum a S. Ioanne Baptista fundavit, quod prudenter ad mortem usque moderatus est. Exemplo ac verbo humilitatem, virtutum fundamentum, caritatem, earum coronam, numquam destitit inculcare. Huic novo sanctitatis viridario, benedixit Deus eique miram concessit propagationem in plurimorum infantium ac puellarum animi ac corporis sanitatem.

Exemplo diximus Servum Dei humilitatem et caritatem inculcavisse; omnium enim virtutum splendore ipsum emicasse testes omnes asseve-

rant; hisque virtutibus innixus non modo, ut videtur, ad sanctitatem pervenit, sed inferni quoque hostis molimina ad nihilum triumphans redegit.

Anno 1910, februario mense ineunte, cardiaco morbo infirmari coepit, cui atroces superadditi sunt dolores, quos patientissime toleravit. Nocte diei 5 eiusdem mensis extremis Ecclesiae sacramentis voluit refici atque ad divinam voluntatem perfectissime se conformans, plene sensibus instructus, sequenti mane, quasi imminentis gloriae praesagus, laetanter animam Deo, cuius gloriam semper quaesierat, reddidit.

Sanctitatis fama, qua Dei Servus vivens claruerat, post eius mortem incrementum cepit, accedente quoque plurium gratiarum eius intercessione obtentarum rumore. Quare in Nuceriae Paganorum Curia annis 1939-1940 ordinaria auctoritate Informativi processus super Sanctitatis fama, scriptis atque obedientia urbanianis decretis cultum Servis Dei prohibentibus, constructi sunt, Urbemque delati.

Plures quoque Summo Pontifici causae Introductionem postulantes oblatae sunt litterae ab uno Cardinali, Archiepiscopis, Episcopis, Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, nec non a moderatoribus et moderatricibus religiosorum Institutorum aliisque.

Peracto scriptorum examine nullum impedimentum ad causae progressionem inventum est; uti contat ex decreto die 2 augusti a. 1942 edito.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, Rmo P. Augustino a Virgine, causae Postulatore instante, in Ordinaria Congregatione die 12 mensis huius habita, Emus ac Rmus Cardinalis Benedictus Aloisi Masella, Episcopus Praenestinus, Causae Ponens, dubium proposuit: *An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur,* atque de causa retulit.

Emi ac Rmi PP. Cardinales, relatione hac, suffragiis Officialium praelatorum nec non R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali auditis, rescripsere: *Signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta autem ab infrascripto Cardinali subsignata die Summo Pontifici relatione, Sanctitas Sua, Emorum Patrum rescriptum ratum habens, *Commissionem Introductionis causae Servi Dei Alfonsi Mariae Fusco* Sua manu signare dignata est.

Datum Romae, die 22 iunii a. D. 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

II

ROMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI MARIAE HELENAE BETTINI, FUNDATRICIS INSTITUTI FILIARUM A DIVINA PROVIDENTIA.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

In alma hac Urbe, die Epiphaniae Domini anno 1814, e Vincentio Bettini ac Lucia Cardinali nata est puella, cui sequenti die, in paroeciali Basilica S. Marci, Baptismi sacramentum fuit collatum, Helenae, Annuntiatae Magdalenae nominibus impositis.

Piorum parentum cura diligenter primitus Helena instituta, dein Magistris Piis Filippini educanda fuit concredita. Salutaria semina inde ab adulescentia in eius animo consita, mire sunt in Dei amorem proximorumque spirituale bonum evoluta. Porro christianam doctrinam pueros puellasque, quos vagantes obvios inveniret, docere pietatemque in eorum animum instillare atque ad parochum S. Caroli ad Catinarios ducere solebat. Egregias Helenae dotes hic prospiciens atque persequens, eam ad religiosam vitam capessendam recognovit aptam ad eamque viam pandit. Parentum itaque benedictione accepta, Helena die B. Virginis Nativitati sacro, anno 1832, Cardinalis Zurla, Gregorii Papae XVI Vicarii Generalis, auctoritate, una cum duabus sociabus religiosas sumpsit vestes, sicque Institutum Filiarum a Divina Providentia exortum est. Hoc ab Urbis Vicariatu anno 1855 approbatum, dein ab Apostolica Sede a. 1887 laudis decretum, decem post annos approbationem; anno denique 1902 constitutiones ratas fuisse est assecutum.

Eodem parocho moderante, Serva Dei, prudenti actione, Institutum sensim sine sensu amplificavit, uberioresque fructus in dies collegit. Quare Servus Dei Pius Papa IX difficilia munera eidem concredidit, quae ipsa perfecte adimplevit. Leo autem XIII, Helenae virtutes eiusque dexteritatem perpendens, eidem arduum fidei docendae ac ab haereticis tutandae morumque reformandorum ministerium in novo, quod exsurgebat Urbis vico, commisit; spes autem in ea posita Pontificem non fefellit. Helena enim pro pueris pauperibusque ludos gratuitos, pro mulieribus officinas, « oeconomicas culinas », Marianas sodalitates aperuit; pauperes infirmos invisere, solari, adiuvare non desistebat; ut devii reverterent ad Deum; ut infantes, parentum neglegentia aut malitia, pariterque adulti non baptizati sacramentum regenerationis reci-

perent; sine sacro coniugali vinculo, belluarum more, viventes, familiarem componerent condicionem, aliaque id genus indefesse operabatur.

Quum tanta in Dei gloria proximorumque salute perficeret, summa humilitate renidebat, et, nonnisi oboedientia coacta, Generalis Superiorissae munus suscepit, quo ad mortem usque prudentissime sancteque functa est. Qua erat humilitate sibi diffidens et Deo tantum confidens etiam atque etiam orationi instabat, praecipue vero ferventem religionem erga Sanctissimam Eucharistiam, beatissimam Virginem eiusque Sponsum, ad quem nunquam incassum in sodalitatis necessitatibus confugit, enutrivit. Exinde patientiam in adversis, veniam erga contumeliosos aliosque iniurias impetentes, generose concedendam, comitatem qua omnium animos sibi conciliaret, hausit.

Operosam hanc vitam die 21 Decembris anno 1894 sancte conclusit.

Sanctitatis fama virente, apud Urbis Vicariatum a. 1936 inceptae sunt canonicae inquisitiones, quibus absolutis, die 25 Novembris a. 1941 in Ordinaria Congregatione de causae Introductione actum est. Verum, quum graves lacunae fuerint notatae, suppletivus processus conditus est, in quo hae fuerunt expletae.

Quare in simili huius S. Congregationis coetu, die 24 mensis huius habito Rmo P. Umberto Fasola, e Congregatione S. Pauli Barnabitarum, huius causae postulatore, instante, infrascriptus Cardinalis, S. R. C. Pro-Praefectus et Causae Ponens, dubium posuit discutiendum: *An signanda sit causae Introductionis commissio in casu et ad effectum de quo agitur,* de eaque retulit. Emi ac Rmi Patres, relatione auscultata, auditis quoque Officialibus Praelatis praesertim vero R. P. D. Salvatore Natucci, Generali Fidei Promotore, attentis quoque Postulatoriis litteris Emi Cardinalis Francisci Marchetti Selvaggiani Ssmi D. N. Papae Vicarii Generalis atque Emi Aloisii Maglione a Secretis Status, qui sacrum ministerium plures annos in harum Sororum Ecclesia operatus fuerat, nonnullorum e Romano Clero ac e religiosa Barnabitarum familia aliorumque, omnibus mature perpensis, rescribere censuerunt: *Signandam esse commissionem, si Ssmo placuerit.*

Facta autem subsignato die ab infrascripto Cardinali Beatissimo Patri relatione, Sanctitas Sua, Emorum Patrum rescriptum ratum habens, *commissionem Introductionis causae Servae Dei Helenae Bettini Sua manu dignata est signare.*

Datum Romae, die 27 Iulii a. D. 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

I

ORATIO AD B. MARIAM V. IN CAELUM ASSUMPTAM

O Vergine Immacolata, Madre di Dio e Madre degli uomini!

1. - Noi crediamo con tutto il fervore della nostra fede nella vostra assunzione trionfale in anima e in corpo al cielo, ove siete acclamata Regina da tutti i cori degli Angeli e da tutte le schiere dei Santi;

e noi ad essi ci uniamo per lodare e benedire il Signore, che vi ha esaltata sopra tutte le altre pure creature, e per offrirvi l'anelito della nostra devozione e del nostro amore.

2. - Noi sappiamo che il vostro sguardo, che maternamente accarezzava l'umanità umile e sofferente di Gesù in terra, si sazia in cielo alla vista della umanità gloriosa della Sapienza increata, e che la letizia dell'anima vostra nel contemplare faccia a faccia l'adorabile Trinità fa sussultare il vostro cuore di beatificante tenerezza;

e noi, poveri peccatori, noi a cui il corpo appesantisce il volo dell'anima, vi supplichiamo di purificare i nostri sensi, affinchè apprendiamo, fin da quaggiù, a gustare Iddio, Iddio solo, nell'incanto delle creature.

3. - Noi confidiamo che le vostre pupille misericordiose si abbassino sulle nostre miserie e sulle nostre angoscie, sulle nostre lotte e sulle nostre debolezze; che le vostre labbra sorridano alle nostre gioie e alle nostre vittorie; che voi sentiate la voce di Gesù dirvi di ognuno di noi, come già del suo discepolo amato: Ecco il tuo figlio;

e noi, che vi invochiamo nostra Madre, noi vi prendiamo, come Giovanni, per guida, forza e consolazione della nostra vita mortale.

4. - Noi abbiamo la vivificante certezza che i vostri occhi, i quali hanno pianto sulla terra irrigata dal sangue di Gesù, si volgono ancora verso questo mondo in preda alle guerre, alle persecuzioni, alla oppressione dei giusti e dei deboli;

e noi, fra le tenebre di questa valle di lacrime, attendiamo dal vostro

celeste lume e dalla vostra dolce pietà sollievo alle pene dei nostri cuori, alle prove della Chiesa e della nostra patria.

5. – Noi crediamo infine che nella gloria, ove Voi regnate, vestita di sole e coronata di stelle, Voi siete, dopo Gesù, la gioia e la letizia di tutti gli Angeli e di tutti i Santi;

e noi, da questa terra, ove passiamo pellegrini, confortati dalla fede nella futura risurrezione, guardiamo verso di voi, nostra vita, nostra dolcezza, nostra speranza; attraeteci con la soavità della vostra voce, per mostrarci un giorno, dopo il nostro esilio, Gesù, frutto benedetto del vostro seno, o clemente, o pia, o dolce Vergine Maria (*Pius Pp. XII*).

Die 17 Novembris 1951

Ssmus D. N. Pius div. Prov. Pp. XII, in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, benigne tribuere dignatus est indulgentias quae sequuntur: *partialem trium annorum* a christifidelibus saltem corde contrito acquirendam quoties supra relatam orationem pia mente recitaverint; *plenariam*, suetis conditionibus, a fidelibus lucrandam, si quotidie per integrum mensem eamdem recitationem devote praestiterint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione.

Contrariis non obstantibus quibuslibet.

N. Card. Canali, *Paenitentiarius Maior*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens*

II

ORATIO A SODALIBUS ACTIONIS CATHOLICAE RECITANDA

Domine Iesu, qui nobis contulisti honorem, ut apostolatui hierarchico, licet tenuem, auxiliatricem operam demus, Tu qui caelestem Patrem rogasti, non ut tollat nos de mundo, sed ut servet nos a malo, copiosum concede nobis lumen et robur tuum, quo in nobis spiritum tenebrarum et peccati vincamus, ut — officiorum nostrorum memores, in bonis operibus perseverantes, causae tuae studio inflammati — impensis viribus recti exempli, precum, sollertiae et supernaturalis vitae, digniores nos cotidie evadamus munere, quod exsequimur, aptiores ad stabiliendum et provehendum inter homines, fratres nostros, regnum tuum iustitiae, amoris et pacis (*Pius Pp. XII*).

Die 17 Novembris 1951

Ssmus D. N. Pius div. Prov. Pp. XII, in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, benigne tribuere dignatus est indulgentias quae sequuntur: *partialem quingentorum dierum* a sodalibus Actionis Catholicae saltem corde contrito lucrandam quoties supra relatam orationem devote recitaverint; *plenariam,* suetis conditionibus, ab ipsis acquirendam, si quotidie per integrum mensem eamdem recitationem pie persolverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione.

Contrariis non obstantibus quibuslibet.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens*

SACRA ROMANA ROTA

I

Coram R. P. D. DINO STAFFA, Ponente

ROMANA

NULLITATIS MATRIMONII

SENTENTIA DEFINITIVA DIEI 23 FEBRUARII 1951

De bono prolis

In IURE. — Legimus in Sententia impugnata: « In re matrimoniali *jus* coniugale essentialiter in se continet *usum* juris: nam uxor, quae excludit usum iuris pro marito, excludit jus coniugale. Insuper in doctrina quae distinguit inter jus et usum juris et inter exclusionem totalem et partialem prolis, habetur petitio principii. Hujusmodi auctores dicunt: matrimonium est validum, si solummodo *usus* juris excluditur, non autem *jus;* matrimonium est validum si solummodo partialiter proles excluditur. Sed tota quaestio haec est: estne matrimonium validum, et quidem vi juris naturalis, si usus juris excluditur, si proles partialiter excluditur? Si probatum est tale matrimonium esse validum, tunc pos-

sumus utique distinguere inter jus et usum juris et inter exclusionem totalem et partialem. Sed talem probationem hucusque nemo posuit: immo Signatura Apostolica matrimonium cum partiali exclusione prolis declarasse nullum constat ex actis (*S. R. R. Decisiones*, vol. XVII, p. 141, nota 1) ».

Distinctionis probatio inter jus et usum juris relate ad actus vere coniugales, naturali ipso rationis lumine praebetur et communi constantique sententia Doctorum, ita ut non absque admiratione quidam Judices Ecclesiastici errori videantur favere quo juri naturae vis infertur, principium concutitur quo judicia in hac re inniti debent, et normae evertuntur quibus amotis coniugale consortium plerumque in discrimen verteretur.

Jus ex matrimonio profluens ad actus vere coniugales, inter iura subiectiva numeratur. Jus subiectivum communiter definitur: « facultas moralis inviolabilis ordinandi quaedam ad proprium finem, seu quaedam habendi, faciendi, omittendi vel exigendi » (cfr. ex. gr. F. X. WERNZ, *Jus Decretalium*, ed 2ª, I, n. 45, p. 54; F. SUAREZ, *Tractatus de legibus*, lib. I, c. 2, n. 4; etc. I. DE LUGO, *De justitia et jure*, disp. I, sect. I, n. 6, jus reale definit « praelationem, qua in usu talis rei debet hic homo praeferri aliis... propter peculiarem connexionem, quam haec habet cum ipso »). Ex definitione juris subiectivi eruitur facultatem moralem, in qua jus subiectivum consistit, distingui ab ejus usu, quo ipsa facultas deducitur in actum. Distinctio enim inter jus subiectivum et eius usum seu exercitium, in re nostra habetur ad instar distinctionis inter potentiam et actum pro philosophis. Dum facultas, in qua jus subiectivum consistit, moraliter inviolabilis est, eius usus impediri, recusari, intermitti potest, imo pluries usus juris continuus seu absque interruptione impossibilis est; sicut suspendi, ita usus renuntiari vel omitti valet per aliquot actus, vel ad tempus determinatum, vel ad tempus indeterminatum, vel etiam semper: iuri enim non obstat eodem non uti, sed eodem uti non posse (cfr. BENEDICTUS XIV, *De Synodo dioecesana*, L. XIII, cap. XXII, n. 12).

Quia distinctio inter jus et usum habetur quotiescumque jus subiectivum habetur, pluries necessario etiam in nostro Codice innuitur (cfr. e. g. cann. 89, 103, 105, 118, 161, 164, 1649, etc.); clarissime vero in can. 1081 § 2, quo consensus matrimonialis definitur: actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat « *jus* in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad *actus* per se aptos ad prolis generationem ». Jus, ergo, quod consensu matrimoniali traditur, est jus subiectivum seu facultas quae habet suum obiectum ad quod ordinatur et quod conse-

quenter ab ea distinguitur: actus nempe per se aptos ad prolis generationem. Distinctio inter jus, quod consensu matrimoniali traditur et acceptatur, et usum juris, seu actus proprie coniugales, ita realis est, ut contrahentes valeant hoc jus sibi invicem tradere, ideoque contractum matrimonialem valide inire, etiamsi neuter jure sic acquisito uti velit (Beata Virgo et Sanctus Joseph vero matrimonio iuncti sunt, quamvis ex divina revelatione Maria novisset numquam jure suo Castissimum Sponsum usurum: cfr. TH. SANCHEZ, *De Sancto Matrimonii Sacramento*, l. II, disp. XXVIII, n. 4, ubi citatur et F. SUAREZ), aut alteruter obligationi ita assumptae saltem ad tempus satisfacere non intendat. Verum est ergo jus, ex matrimonio profluens, natura sua ad actus proprie coniugales ordinari; sed falsum est « jus coniugale essentialiter in se continere usum juris ». Attamen, ut notum est, « indivisibilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se, quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradunt, sequitur quod separari non possunt; et inde est quod matrimonium numquam invenitur sine inseparabilitate » (S. THOMAS, *Summa Theologica*, suppl. p. III, q. XLIX, a. 3); distinctio ergo inter jus et usum, quoad perpetuitatem, in ipso suo conceptu contradictionem involvit, quia perpetuitas cum actu contrario, etiamsi unico, existere nequit.

Distinctionis probatio inter jus et usum relate ad actus vere coniugales, nedum e textu Codicis, quem retulimus, et ex jure naturali deducitur, quo innituntur supra allata argumenta, sed etiam ex doctrina communi et constanti Theologorum et Canonistarum. Sufficiat recolere textus ex. gr.: S. THOMAE (*Summa Theologica*, suppl. p. III, q. XLIX, art. 3), TH. SANCHEZ (*De Sancto Matrimonii Sacramento*, l. II, disp. XXIX, nn. 11-12, ubi alii citantur); B. PONTII (*De Sacramento Matrimonii*, l. I, cap. XVI ss.); L. BILLOT (*De Ecclesiae Sacramentis*, Romae, a. 1930, tom. II, p. 339 ss.); F. X. WERNZ-P. VIDAL (*De Matrimonio*, Romae, 1928, n. 28 cum aliis ibi citatis); P. GASPARRI (*De Matrimonio*, ed. a. 1932, nn. 8, 898 ss. et alii ab eo citati); F. M. CAPPELLO (*De Matrimonio*, ed. a. 1947, nn. 16, 631); etc.

Cum doctrina citata consonat jurisprudentia universa, etsi in aestimatione facti aliquando Judices fuerint discordes.

Judices appellati provocant ad sententiam S. R. Rotae diei 14 martii a. 1924 coram *Chimenti* (*Decisiones S. R. Rotae*, vol. XVI, pp. 106-113) et ad decretum Signaturae Apostolicae diei 26 julii a. 1926 (*Decisiones S. R. Rotae*, vol. XVII, p. 141, nota 1). At Sententia Rotalis diei 14 martii a. 1924 coram *Chimenti* nullimode excludit distinctionem inter jus et

usum juris, imo eandem explicite confirmat, distinguens *in jure* intentionem non se obligandi « ab intentione obligationes non implendi, quae intentio, ad bonum fidei et prolis quod est, non obstat validitati matrimonii » (*Decisiones S. R. Rotae,* l. c. p. 108, n. 3); distinctionem repetit *in facto* (ibid. p. 112, n. 8) et concludit: « confirmatur, Elisabeth, cum matrimonium contraxit, excludere voluisse essentialem *obligationem* et non tantum eius exsecutionem in ordine ad procreationem prolis » (ibid. p. 113, n. 9). Memorata sententia Rotalis reicit e contra distinctionem inter jus *radicale* et *non radicale*. Sicut enim distinguitur bonum prolis radicale seu in suis principiis seu in jure, et bonum prolis in actu seu in exsecutione, ita quidam inter Decessores nostros et hodiernos scriptores distinxerunt jus *radicale* a jure *utili* seu *expedito*. Sententia citata merito improbat hanc loquendi rationem, quia jus ad actus vere coniugales species non habet, distinctiones non admittit: jus enim ad usum corporis alterius coniugis, nisi utile sit, concipi nequit; propterea relata distinctio: « arbitraria videtur, cum Codex dicat sufficere ad nullitatem matrimonii ut excludatur jus. Est quoque confusionis conciliatrix, cum per eam jus ad coniugalem actum dividi videatur in ignota genera » (*Decisiones S. R. Rotae,* l. c. p. 108).

Decretum vero Signaturae Apostolicae, diei 26 iulii a. 1926, nullum argumentum praebet ad distinctionem negandam inter jus et usum. Hoc decreto decisa fuit a Supremo Tribunali causa *Harlemen. Nullitatis Matrimonii,* inter Franciscum et Elisabeth. Post sententiam Tribunalis primae instantiae, qua edictum fuerat non constare de nullitate matrimonii ob exclusum bonum prolis, res delata fuit ad N. S. T. in quo ter pertractata fuit: prima sententia Rotalis, diei 29 aprilis a. 1922, coram *Parrillo,* antecedentem confirmavit; altera, diei 14 martii a. 1924, coram *Chimenti,* decrevit e contra constare de nullitate matrimonii; tertia, diei 23 martii a. 1925, coram *Jullien,* lata fuit pro vinculo. Quamvis diu causa agitata sit, numquam contradicta fuit distinctio inter jus et usum, prout eruitur e sententiis citatis et iam editis (*S. R. Rotae Decisiones,* vol. XIV, a. 1922, pp. 119-132; vol. XVI, a. 1924, pp. 105-113; vol. XVII, a. 1925, pp. 129-141), et ex recursu a Patronis interposito, die 21 decembris a. 1925, ad Signaturam Apostolicam: « Il punto controverso sta nel vedere se questo proposito escludesse lo jus ad prolem o solo l'uso di quel diritto, essendo noto che nel primo soltanto, e non nel secondo caso, il consenso si ritiene viziato e quindi il matrimonio nullo ». In relatione autem ex officio, pro Plenaria sessione confecta, principium juris enuntiatur iisdem verbis quibus usa fuerat sententia coram *Jullien,* et additur: « Jamvero circa hoc principium

juris nullum dubium, nulla controversia... Quaestio est circa practicam applicationem eiusdem principii quod attinet ad consensum matrimonialem praestitum a muliere conventa, ratione habita propositi ab eadem actori manifestati, ab eodemque admissi: excludendi nempe in sexualibus relationibus procreationem prolis. Etenim si probaretur ream conventam hanc conditionem *sine qua non* apposuisse in matrimoniali consensu, et exclusisse jus ad prolem, consensus ipse vitiatus esset, matrimoniumque nullum. Quod si mulier, assentiente quidem viro, non *jus* ad prolem excludere voluit, sed *usum* tantum eiusdem juris, et quidem ad tempus; et magis si hoc per modum desiderii vel etiam simplicis propositi ostendit, nec idem voluit quasi conditionem *sine qua non,* locus non esset nullitati matrimonii. Divergentia quidem sententiarum S. Rotae nititur huic diverso iudicio circa consensum a muliere praestitum. Prima enim ac tertia sententia retinent mulierem non exclusisse jus ad prolem, nec hanc exclusionem quasi conditionem *sine qua non* voluisse; secunda vero Rotalis sententia, coram *Chimenti,* innititur partiali simulatione consensus ab E. praestiti, quae jus ad prolem perpetuo excludere voluit, qua exclusione ejusdem consensus matrimonialis vitiatus fuit, ideoque matrimonium nullum ». Emi PP. Cardinales Signaturae Apostolicae, in sessione Plenaria diei 29 ianuar. a. 1927, decreverunt constare in casu de nullitate matrimonii, at Litterae diei 28 febr. a. 1927, quibus de hac decisione certior facta fuit S. Rota, de distinctione inter jus et usum mentionem non faciunt; neque verbum de hoc invenitur in decreto exstante apud Supremum Tribunal; neque sententia ab eodem in hac re edita aut exarata umquam fuit. Patet inde quanti aestimanda sit doctrina quae, validis argumentis non suffulta, defectum eorum quocumque medio supplere conatur. Si distinctio inter jus et usum ab Apostolica Signatura revera fuisset impugnata, plures causae in nostro foro postea resolutae fuissent modo plane diverso, et plurimae decisiones ab advocatis delatae ad praefatum Apostolicum Tribunal, ut infirmarentur.

Tam aperte, necessario et evidenter contra rationem, traditionem et jus positivum verba appellatae sententiae pugnant, ut aliud prorsus ominemur, imo opinemur eorumdem Auctorem intellexisse, quam ipsa verba significant. Eadem nihilominus, etsi aegro animo, refutare debuimus, tum quia « nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit » (D. XXXIII, 10, 7, 2), cum ne in exemplum transeant. Forte Judices inferioris gradus ita dicere volebant: jus ad actus vere coniugales ex consensu matrimoniali oritur; si consensus limitatur, limitatur et jus; quoties ergo constet de vera consensus coniugalis limitatione, inutile

est inquirere utrum tantum usus an etiam jus limitatum sit : limitatio enim vel exclusio juris, necessario secumfert usus limitationem vel exclusionem. Si talis tamen fuit revera Judicum mens, statim patet vel obiter legenti quam inepta ratione fuerit expressa.

omissis...

Dinus Staffa, *Ponens*
Ioseph Pasquazi
Pericles Felici

II

Citatio edictalis

ROMANA

NULLITATIS MATRIMONII (DAMASSO-JACOBS)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Domini Isidori Jacobs, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 13 Februarii 1952, hora duodecima, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Domini Isidori Jacobs curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.*

Arcturus Wynen, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 23 Novembris 1951.

Ovidius Bejan, *Notarius*

